



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

IV. An potentia intellectiua Dei veram aliquam intentionalem actiuitatem
aut prioritatem, nec solum rationis & metaphysicam respectu suæ
intellectionis sortiatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

impossibile foret: egregia quidem hypothesi, & conditio impossibilis, quæ affert conditionem essentialem prædicato, quod affirmat de subiecto, cui ea conditio repugnat. Cur non dicis lapidem physicam etiam habere actiuitatem producendi seipsum, aut producendi hominem, aut equum, imo creandi Angelum sub conditione, quod ab ipso realiter distinguitur, vel sicut homo, equus, aut Deus ab ipso distinguitur.

7. Atque ut doctrinam vniuersalem hypotheson impossibilium inuiliam, & viliam tradam, & simul euasione, & instantiam Recentiorum Complutensium contra hoc nostrum argumentum ex, vtili quidem, illa hypothesi, & questione: *an si Spiritus Sanctus non procederet à Filio distingueretur realiter ab illo?* petitam examinem. Hæc regula generalis est: quoties hypothesi impossibilis, repugnantque subiecto cui adhibetur est de essentia prædicati, questio est inuiliis, & affirmatiua resolutio nugatoria. Præsertim, cum reliqua essentialia prædicati de subiecto non dubitantur: tum enim inutiliter queritur in hypothesi, an conueniat prædicatum, quod constat non posse conuenire, nisi purificata conditione, quæ explorato nequit in subiecto purificari: nugatorieque affirmatur prædicatum de illo, ut patet in casu nostro, aliisque similibus. Confirmatur: quia, si liceat in hypothesi ponere conditionem impossibilem subiecto, quæ tamen vel de essentia est, vel conditio sine qua non prædicati, quod de illo dubitatur, aut affirmatur: cum Deus, si non esset author, & causa prima peccaret, permittendo peccatum, dubitari posset, imo affirmari, habere potentiam realem virtualem, seu conditionatam ad peccandum: quia ex suppositione impossibili, necessario tamen, ut permittens peccata eis posset peccare: quod perinde est, ac si affirmetur posse peccare, si posset peccare, vel sub eis terminis dispiceretur nugatorie. Questio autem illa vtilis de Spiritu sancto est: quia distinctionis essentia productio à distincto non est, neque in diuinis ab aduersariis necessaria reputabatur: licet de facto necessaria esset: si minus tanquam formale constitutum, & distinctum, ut ostendimus contr. de Trinit. tamen, ut vnicum distinctionis earum apud Catholicos, & admittentes scripturam sacram argumentum.

8. Quatro impugnatur præfata sententia: quia, ut diximus in illa hypothesi distinctionis realis potentie intellectiue diuinæ à sua intellectione nec potentia diuina eadem esset, neque item intellectio illa, cuius esset illa actiua potentia, fieret à potentia intellectiua, sed ab omnipotentia foret producenda: siquidem quidquid Deus non est ab omnipotentia, non autem ab intellectiua Dei potentia debet necessario provenire: ne omnipotentia aliquorum, ac non omnium potentia actiua sit. Denique cum physica actiuitas potentie intellectiue in illa hypothesi non esset notionalis, esset dubio procul stricte causatiua: unde & indigentiam causæ in intellectione diuina, ut existeret, supponeret, ac prædicatum essendi à se casualiter, diuino omni prædicato essentiali, destrueret: quæ omnia cum diuinæ intellectioni repugnent, sit plane respectu diuinæ intellectionis actiuitatem potentie intellectiue diuinæ sub conditione distinctionis realis earum in terminis repugnare.

9. Denique Recentiores Complutenses post multam meditationem aiunt potentiam hanc virtualiter actiuam suæ intellectionis esse in Deo necessitatem cognoscendi quoduis obiectum casu, quod sit. Hoc autem prædicatum formalissime est potentia cognoscendi cum impotentia non cognoscendi eiusmodi obiecta: atqui hæc potentia non est potentia logica per hos, & per rationem: siquidem potentia logica, siue possibilitas cognitionis huius actiua nequaquam est: ergo est potentia physice absolute, & formaliter talis, ac sine addito illo virtualis. Pater, quia est necessitas, seu potentia cognoscendi cum impotentia non cognoscendi absolute talis: ergo sine addito virtualis consistit.

10. Opponunt Murciani recentiores. Licet de conceptu vite intentionalis non sit physica emanatio à viuentem: tamen perfectius viuere viuens, cuius actualis vita, seu operatio vitalis ab eo physice etiam, procedit, id quod in viuentem libere, seu per liberam operationem, seu actum multo verius est: cum nihil aliud sit libertas actus,

quam indifferentia principij actiui ad illum ponendum, vel non ponendum: enim in eius potentia actiua non sit illum ponere, vel non ponere, quo pacto actus ille sub eius dominio, & potestate erit? Cum igitur Deus perfectissimum viuens, & liberum sit, actiuitatem physicam in suos actus vitales, & liberos necessario habebit, non realem formalem, quæ ipsius simplicitati repugnat: ergo realem virtualem. Si antecedens tam de vita, quam de libertate admitamus, ut ad virtutis perfectionem physica actiuitas requiratur: fiet Deus non quidem perfectissimum viuens, & liberum esse, sed ne simpliciter quidem, & absolute esse tale sola virtuali actiuitate eius in suos actus admissa. Nam eo perfectionis gradu viuens, & liber erit, quo actiuitas suorum actuum sit: quare si solum sit eorum actiuitas physice virtualiter, non autem simpliciter, & absolute, nec simpliciter, & absolute viuens, & liberum erit, sed solum virtualiter: quare nec viuens, & liberum perfectissimum, sed multis creatis viuentibus imperfectius. Respondet ergo perfectus longe viuens, & liberum esse, quod vita solum, & dominio, seu potestate intentionalis viuens, ac Dominus suorum actuum est: ac ideo Deum esse creatis viuens, & liberum perfectius longissime.



QVÆSTIO IV.

An potentia intellectiua Dei veram aliquam intentionalem actiuitatem, aut prioritatem, nec solum rationis, & metaphysicam respectu suæ intellectionis sortiatur?

VBILIOR meditatio, questioque recentior proxime examinatis de actiuitate, & prioritate vera, & reali physica potentie intellectiue Dei respectu suæ intellectionis, siue absolute tali, siue formali ex natura rei, siue virtuali, siue conditionalis examen in præfatis examinetur. An scilicet, licet neutra eiusmodi realium actiuitatum, prioritarumque physicarum, in potentia intellectiua diuina respectu suæ intellectionis deus (ut non dari hæcenus probauimus) vera nihilominus realis actiuitas, seu prioritas intentionalis, ut à Recentioribus dicitur, sit admittenda.

CERTAMEN I.

Recentiorum sententia, & fundamenta.

1. Noster Ioannes Martinez de Ripalda manuscripto de voluit. Dei, quem secutus est noster etiam Quirós t. 1. de Deo tract. 4. d. 35. tota sect. 3. alique Recentiores in manuscriptis de scientia asserunt dari veram, & realem prioritatem non physicam, sed intentionalem respectu suæ intellectionis, siue libere, siue necessitate (quod ipsum de voluntate, & amore Dei dictum volunt) quæ physice ab illa nec fluit, produciturque, neque vllatenus produci potest. De actiuitate vero intentionalis vera, & reali, an eiusmodi potentis respectu suorum actuum conueniat nihil expresse docent: imo Quirós in huius conclusionis probationibus eo contentus videtur, ut probet Deum esse principium intentionale rerum operans ut quod, seu receptum intellectionis, ut constat ex num. 17. & 18. ubi eius rationes id solum cunctant. Probat primo: quia potest dari actio, seu operatio physica, ac respectu eius vera physica actiuitas, & prioritas, quia ea ab hac actiuitate physice fluit, ut constat in physica actiuitate potentie notionalis identificata realiter cum processione actiua: ergo & potentia prior realiter, respectu operationis, quæ physice ab ipsa non procedat. Reliquas probationes nunc silico, quia eas commo

commodius, & forte fortius proponam cert. 2. quam hic ceferam.

2. Noster etiam Ribadencira d. 2. citata c. 2. num. 15. qui primus huius sententiae prælo meminit, totis nitibus, viribusque eam impugnat; cuiusque fundamentis, & præcipue huius primo fule responderi ibidem, & c. 2. §. 3. per totum. Primo huic respondet negando antecedens, ut communius (licet mihi non verius) à Theologis negatur; scilicet potentiam physicam notionalem esse actuum, realiterque priorem respectu actus processionis realiter identificatae cum ipsa: multique contendit nullam potentiam actuum realem, ac veram dari posse, siue physicam, siue intentionalem respectu eius, quod ab ipsa vere non producat. Cum autem neque intellectio, quæ operatio intentionalis est, à potentia intellectiva reali fiat, producaturque, neque quidquam aliud præter illam, quam potentia activa vera, aut vere prior, & realiter sine mentis figmento esse poterit, quæ ad nihil verum, & reale operandum contendit: quod autem nil præterea verum, & reale à potentia intellectiva Dei vere, & realiter fiat, probat: quia imprimis non intellectio ipsa, sed neque obiectum intellectum, quod esse intentionale per illam dicitur recipere. Illud enim esse extrinsecum pure obiecto est ab intellectu: est enim esse intellectum, seu intelligi, quod ipsi ab intellectu sola formaliter adæquate extrinsecus venit: quare, intellectuione improducta, nequit esse intentionale obiecti produci.

3. Censio horum Recentium, tam probantium, quam respondentium, & impugnantium discursus peccare: est enim falso postremi negent antecedens, ut vidimus q. 2. cert. 2. num. 2. tamen eo admisso probatio primorum nulla est, negatur enim facile consequentia, redditurque aperta disparitas. Etenim, licet dari possit potentia vere activa, etiam physica, respectu actionis identificatae cum ipsa tanquam via, licet non tanquam termini: ut ibi nu. 3. dicebamus: aut potentia activa vere, & realiter talis, ac non ficta, & pure rationis, quæ nullus neque actionis, neque termini alterius per ipsam fluentis productiva sit, multique omnino producere queat, non dari solum in re, sed neque mente concipi potest: est enim in terminis ipsis repugnantia actus actus enim vera nihil aliud esse videtur, quam termini alius virtus productiva. Id quod exemplo ipso virtutis notionalis actus, quam etiam respectu processionis actus tanquam via actuum esse censemus, cernere licet. Est enim vere, & realiter productiva termini vterioris, atque ab ipsa distincti producendi; licet processionis ipsius cum ipsa identificatae productiva, tanquam termini producendi, minime sit.

4. Confirmatur amplius. Quia virtus productiva vera nequit intelligi siue vera, nec solum ficta actione possibili, siue ab extremis diversis, siue cum termino, aut agente identificata, ut patet: atqui ubi terminus producentis, aut productibilis vere non adest, nequit esse actio vera: ergo neque vera, ac non solum ficta potentia. Maior est per se nota: ubi enim impossibile est actio, impossibile est potentia: maxime in casu nostro, in quo ratione identitatis potentie cum actione terminus producendus est impossibilis iuxta dicta à nobis q. 3. cert. 4. n. 6. & 7. ex quibus casibus, quæ adiri poterat, omnino præcluditur de vera potentia activa, conditionali tamen si actionis, aut termini producendi distinctio à potentia activa vera esse possibilibus. Minor est etiam evidens, ex illo principio: quod nihil sui ipsius vere actuum sit. Si enim actio siue vilo termino vere producendo, distinctoque vere à potentia vere activa esse posset: idem posset vere sui ipsius productivum esse: quocirca Ribadencira noster, qui tandem hanc rationem attigisse videtur, quod nullus sit terminus per eam potentiam vere producendus, nullo fructu negavit constanter antecedens, quod probabile nobisque verosimilius est, ut argumento respondere, cum eo admisso solutio clara, atque efficax adeo sententia impugnat à nobis data ad manum esset.

Christoph. de Ortega, de Deo Vno, Tomus I.

CERTAMEN II.

Nostre sententia.

1. Dico primo pro statuenda suppositione, quam quaestiois titulus præse fert (scilicet potentiam intellectivam Dei metaphysicè esse priorem, & radicem seu principium actuum suæ intellectiois) eiusmodi potentia radix, & principium actuum suæ intellectiois ipsaque prior metaphysicè est: est omnium fere Doctorum conclusio: à qua solum nostrum Ribadenciram videro discessisse. Probatur facile à paritate essentiae diuinæ, quæ ab omnibus radix metaphysica suorum omnium attributorum est, ipsique metaphysicè prior, non obstante reali, & physica eorum identitate cum ipsa: ergo eadem non obstante potentia intellectiva Dei prior metaphysicè, radique, & principium actuum metaphysicè suæ intellectiois erit. Ratio vtriusque est: quia distinctio radicis, & principij actui à suo termino eius solum generis requiritur, in quo hæc inter extrema assignantur: ergo actiuitas, prioritate metaphysica inter aliqua solum distinctionem metaphysicam eorum requirit: atqui hæc datur inter essentiam diuinam, cuiusque attributa: ergo quantum ad distinctionem attinet, prioritas, & actiuitas metaphysica dabitur inter eadem.

2. Sed quoniam non sola distinctio extremorum ad actiuitatem, prioritatemque, & posterioritatem inter illa satis in vilo genere, siue physico, siue metaphysico, est (ut patet in pluribus physicè distinctis, quorum nullum alterius actuum physicè est: ut g. Petrus, & Angelus Michael, lignum, & lapis: atque in metaphysicè distinctis eternitas, immensitas, omnipotentia) oportet quiddam aliud præter distinctionem metaphysicam prædicatorem ad metaphysicam vni respectu alterius actiuitatem statuendam requiratur: ut ea in potentia intellectiva Dei respectu suæ intellectiois adiuuata (idemque erit in natura diuina respectu attributorum omnium) merito, & rationabiliter à nobis, Theologisque reliquis eam ipsi, nec solum arbitrario, & imprudenter attribui sit exploratum. De physica enim actiuitate statuenda in rebus adhuc inter realiter diuersas, nulla certa regula potest assignari præter experientiam, licet ad eam pluribus rebus respectu aliarum denegandam plures præter experientiam rationes, ac regulæ suppetant, ut constat ex controuersia nostra de rerum, seu causarum actiuitate.

3. De metaphysica vero prædicati vnius respectu alterius prioritate rationabili ea regula in vniuersum est: ut quoties prædicatum, seu conceptus cum alio identificatus realiter, metaphysicè autem diuersus eiusmodi est, ut eius generis res alia ita se habeant respectu aliorum ab ipsis realiter diuersorum, ut eorum actiua physicè sint, ipsique priora; & conceptus, seu prædicatum illud per imitationem, & analogiam quandam actiuus, & prior metaphysicè iure dicatur. Sic etiam distinctio metaphysica rationabilis, & ratiocinata, seu cum fundamento, talis est, ac dicitur per analogiam quandam, & similitudinem ad realem distinctionem. Inde vero facile obiectum Recentioris memorati occurrit. Non enim, inquit, satis est concipi Angelum corporeum, quod reuera non est, corporeus metaphysicè asseratur: ergo nec prædicato metaphysico concipi à nobis actiuum respectu alterius distincti metaphysicè ab ipso satis erit, ut actiuus metaphysicè dicatur. Negatur consequentia. Angelus enim non ex analogia corporis ad modum cuius concipitur, concipitur corporeus: cum spiritus essentia sua sit, qui corpori essentialiter, & omnino repugnat: sed ex nostri modi pro hoc statu cognoscendi indigentia: cum enim non nisi ministerio sensuum, atque sensibilibus adinstar cognoscere possimus Angelum corporis ad instar, ac per eius species cognoscere possumus, quin tamen illum corpus esse iudicemus. Aut essentiam metaphysicam priorem metaphysicè, atque radicem suorum attributorum, sicque potentiam intellectivam intellectiois actuali metaphysicè priorem, & radicem iure censemus: quia & essentia, & potentia ratio ut sic eam pax eiusmodi prioritatis, & actiuitatis è conceptu suo est, atque

2. 2

atque physica, quam metaphysica imitari debet, & per analogiam, ad quam assentia, & potentia metaphysica talis est, ac dicitur reuera, & prior, & actiua suarum passionum, & actuum est.

4. Si secunda conclusio. Probabile est potentiam intellectiua Dei vere priorem, & radicem actiua intentionalem suae intellectiui esse. Probat: quia intellectio vera realis, ac non ficta operatio in Deo citius physica: ergo intentionalis: atqui implicat esse veram operationem in aliquo genere, quin in eodem sit vera potentia actiua, & prior: ergo in Deo potentia intellectiua, quae potentia illius operationis est, potentia vere, & realiter actiua, & prior intentionali erit. Secundo: quia Deus vere re ipsa intentionali vita actuali uiuit: nequit autem uiuere actu, nisi immanenter in eo genere operetur: ergo quin in se habeat in eo genere vitae intentionalis verum, & reale principium actiua, & receptiui suae operationis, ipsaque prius. Probat: consequentia: quia de conceptu vitae actualis vniuersum sumptum est ita immanens operatio: & de ratione operationis immanens est habere idem principium actiua, & receptiui sui in uiuente, seu vitaliter operante in eo genere, quo uiuens uiuit: ergo in genere vitae intentionalis vera, verum principium vitae actiua, & receptiui reale intentionale: utrumque harum probationum antecedens, imo & probationem utramque videtur dedisse Aristoteles 1. ethic. cap. 8. dicens: *uiuere Deos vniuersi putant: quare & operari. Non enim oportet eos, ut Endymionem dormire: uiuenti igitur ei (Deo) cui actio, & multo magis effectio (actiua, & in se immanenter,) non tribuitur, quidnam aliud praeter contemplationem restat? quare Dei operatio praecellens (non igitur ficta, sed vera: quid enim boni signum habent rationis?) beatitudine contemplatiua sine controuersa erit. Ecce operationem veram, & realem immanenter in Deo agnoscit Arist. quae physica actio, aut effectio non sit.*

5. Vnicum est, quod vim habere videatur, contra hanc conclusionem argumentum leuiter à Ribadeneyra tactum ex principioque illi notissimo, quod nihil seipsum possit producere innoxium. Expendimus illud olim ad rem praesentem aptissime controu. & d. citata de Trinit. & nuper hic cert. 1. n. 3. si enim vera actiuitas, & prioritas realis distinctionem veram, & realem, sin minus ab actione, & operatione sua, à termino producendo requirit, quod nihil seipsum possit realiter producere: ergo vera, & realis cuiusvis potentiae actiuae, & operationis terminus vere, & realiter ab illa, & producente distinctus sine productus, siue producendus assignandus necessario erit, ut vera realis, ac non ficta potentia actiua, & prioritas sit. Hic autem vt co. num. 3. & 4. vidimus actiuitati potentiae intellectiuae diuinae assignari vere, & realiter distinctus ab ea, & intelligente minime potest: siquidem neque intellectio diuina realiter, & vere à sua potentia diuersa est: neque per illam aliquid aliud vere, & realiter producitur: ergo eius potentiae actiuitas, & prioritas intentionalis vera, & realis absolute non est, sed solum ficta, & metaphysica: quare dum veram, & realem intentionalem dicimus, non physicam, vocibus ludimus, ni addito *intentionalis*, eius actiuitatis, & prioritatis ita voces illas vera, & realis, imminui volumus, ut earum significatum proprium destruat: tantundemque significari, ac si diceretur ens rationis vere ens rationis esse.

6. Haec difficultas, in re quidem praesenti summa, summa est: cui si probabiliter saltem, absque solo verborum ludo, seu illusione satisfiat, tenenda ab omnibus conclusio erit: cum & Aristoteli recitato, eiusque menti sit conformior, & melius dogmaticae veritati de proprietate vitae actualis Dei adsonet, & concordet: vti ex eius probationibus liquet: & sane, si distinctio operationis, & potentiae intentionalis à physica potentia, & operatione penetraretur, & solutio satis probabilis, & forte vera apparebit, quae & reliqua aduersariorum argumenta euanescent, ea vero est: quod potentia physica actiua, eiusque ratio ad producendum aliquid physice demo est: siue ab actione re ipsa diuersum, siue ipsi identificatum, cum qua pugnat, producibile physice, & realiter identificari. Potentia autem intentionalis in suo genere, & linea intentionali actiua, eiusque operatio vera, & reales, ac non fictae alterius physice termini actiuae non sunt (id enim

esset actiua physice esse, atque ad illud actiuitatis, & actionis, genus à quo intentionalem actiuitatem diuidimus implicatoriè reuocare) sed solum actiua realiter perceptiua, id est quod vera realis haec potentia verari actu circa obiectum possit, illudque percipere, atque ad se representatione formali, seu cognitione trahere, aut illud assensu, aut affectu persequi, aut fugere dissensu, aut odio queat, atque alterutrum vere, ac sine fictione actu exercere: quod totum in Deo vere, realiter, ac sine illa fictione reperitur, vocibusque non synonymis significatur.

7. Ex quo patet ad argumentum solutio. Etsi enim de potentia actiua physica vera, & reali recte probeat in potentia intellectiua Dei communi non reperiri: quia haec ubi terminus aliquis, siue actioni realiter identificatus, siue inidentificatus, ab operante realiter diuersus producibilis non est, repugnat, aut de intentionali actiua potentia vera etiam, & reali nihil probat, dum non probat non posse actu obiecta percipere, ad seque representatione trahere: assensu, & amore persequi, dissensu, ac odio auerari. Constat etiam leuiter à Ribadeneyra hanc conclusionem referri, dum totus est in probando intellectiua Dei physice non produci à potentia intellectiua diuina: nec tam extra rem, ac ipse putat, ad quaestionem de actiuitate vera, & reali potentiae intellectiuae diuinae, eiusque vera prioritate, respectu suae intellectiui hanc distinctionem de actiuitate, & prioritate reali intentionali, ac reali physice fuisse excogitatum: etsi non satis ab eius inuentoribus haec sensu explicaretur: imò ipse tandem in argumentorum solutione c. 3. §. 3. fatetur saepe à num. 47. esse in Deo principium verum operandi intentionali circa obiectum, quod solum percipiendum est, atque esse intentionale recipere, non autem intellectiui, quia intellectio formalis, & directa: sed certe, cum esse illud intentionale obiecti nihil aliud sit, quam representari formaliter (quod ipsum intellectio est, ut hic Recentior fatetur) neicio quo pacto obiecti percepti, siue secundum esse intentionale, potentia operatiua, & actiua vera intentionalis sit, non autem ipsius etiam intellectiui.

8. Pro huius quaestiones coronide disputari hic poterat, an potentia intellectiua duplex conceptus concedendus Deo sit. Alter potentiae radicalis, remotae, alter potentiae formalis, & proximae: quorum primus in natura, seu essentia metaphysica Dei claudatur, secundus sit primo superadditus: sicut in homine, & animali quouis ad cognitionem eliciendam plures praeter Thomistae admittunt. Dicendum est dari in Deo utramque potentiam intellectiua metaphysice: quia datur potentia intellectiua, siue intellectiualitas formalis: daturque essentia Dei metaphysica, quae intellectiualitas formalis non est, neque ad intellectiua seipsa formaliter comparatur: quia est solum ens à se, ut vidimus controu. 1. d. 1. q. 3. estque radix metaphysica eiusmodi potentiae, sicut & attributorum reliquorum: ac proinde remotae ad intellectiua metaphysice comparatur, ut principij eius principium. Vnde patet solutio ad argumentum Complutensium Recentiorum qui in natura, & essentia metaphysica Dei vnicam rationem potentiae intellectiuae formalis, & proximae intellectiui defendunt sine interiecta potentia: quia neque in creatis animae rationali, aut sensitiuae datur interiecta potentia, adhuc formaliter diuersa: nec si eis daretur, gradus intellectiui Dei superaddidi adhuc formaliter deberet: quia importaret potentiae intellectiuae essentialis indignum praedicato diuino insufficiens: sed negato supposito (quod in Dei essentia sit praedicatum intellectiui potentiae, sicut est in creatis) omnia euanescent: in ea quippe solum est praedicatum entis à se, cuius attributum est intellectiua esse, atque atque esse immentum, aeternum &c.